



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Tribunal Poenitentiae Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut Reo Posterior De Confessario Ut Judice**

**Stoz, Matthäus**

**Anno M.DC.LXXXIX.**

Sect. IX. Discutitur nova & singularis Difficultas de modo procedendi  
judicialiter contra sigillifragos Confessarios.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37144**

centiam in scripto, aut coram testibus exigere non conveniat. *sup. n. 198.* & Confessarius, etsi seipsum ad iuramentum offerat, non semper fit ad id admittendus, ut ex dicendis mox patebit.

Itaque hîc ferè tantùm ex præsumptionibus & conjecturis procedendum est, quarum potissimùm duæ sunt. Altera desumi potest ex effectu factæ revelationis, an fuerit, vel non fuerit graviter damnosa pœniteni, vel alteri. Altera petenda est fama, moribus, & vita pœnitentis & Confessarii. Si enim revelatio peccati cedit in grave damnum pœnitentis, vel alterius, idque pœnitens facile prævire potuit, præsimitur, non voluisse ipse sibi vel alteri gratis nocere, dando licentiam; & multum confirmatur hæc præsumptio, si Confessarius insuper sit malæ famæ, morum corruptorum; pœnitens e contra boni nominis, probatæ vitæ. Quod si revelatio nihil damni, sed potius aliquid commodi affert pœnitenti, tunc stat pro Confessario præsumptio de data licentia; eaque valde roboratur, si Confessarius sit integræ famæ & vitæ, pœnitens autem infectæ. Ex his omnibus verò si adhuc nihil certi erui possit, favendum est in dubio potius Reo, credendumque magis Confessario, qui affirmat, sibi datam fuisse licentiam, quam pœnitenti, qui negat; maximè cum Confessarius in rebus forum internum concernentibus habeat se ut Judex & Superior, de quorum Justitia semper præsumentum est. Neque tamen hinc cum *Fag. l.c.* dici debet, quòd rarissimè, vel nunquam Sacerdos ob violatum sigillum possit damnari ad pœnam ordinariam, ut

consideranti ea, quæ attulimus, facile patebit.

281. Porrò quia revelatio sigilli est delictum valde enorme, atrox, & bono publico summè noxium, ideo ob hanc ejus qualitatem sufficiunt ad illud probandum etiam testes singulares. *Tan. tom. 4. Disp. 6. q. 9. n. 122.* Et alii, ut si unus testetur, se ex Confessario peccatum audivisse hoc loco & tempore, alius alio, tertius iterum alio &c. vel unus testetur de uno peccato revelato, alius de alio, & tertius iterum de alio. Valde etiam gravaretur Confessarius, ejusque fides, si plures pœnitentes contra illum exurgerent, & quilibet eorum sigillum suæ confessionis ab eo violatum esse quereretur.

### SECTIO IX.

*Discutitur nova & singularis Difficultas de modo procedendi judicialiter contra sigillifragos Confessarios.*

282. Gravem hîc difficultatem movere laudatissimus Theologus R.P. Georgius Gobat in suo *Quinario, tr. 5. cap. 42.* ab aliis, ut ipse ait, intactam: *Quomodo nimirum in processu judiciali se gerere possit, & debeat Judex, Testis, & ipse Confessarius, si fama publica sit, ab isto determinatum aliquod Caji peccatum v. g. homicidium fuisse ex confessione Sacramentali revelatum?*

\* \*  
\*

## S. I.

*Proponitur Ratio Difficultatis, & Opinio R. P. Georgii Gobat.*

Ratio dubitandi est hæc. Omnes, ad quos noticia de homicidio Caji, ex confessione Sacramentali derivata, pervenit vel immediatè, vel etiam mediatè tantum, saltem per illicitam & sacrilegam sigilli revelationem, sunt obligati sigillo. *sup. à n. 199.* ita ut de peccato illo nec inter se, nec cum aliis loqui aut agere possint sine licentia pœnitentis; nec etiam quidquam dicere aut facere, nec à quocumque induci ad aliquid dicendum, aut faciendum, unde illorum aliquis, vel quivis alius in cognitionem vel rationabilem suspicionem de illo Caji peccato venire possit. *sup. n. 192.* atqui ad Confessarium noticia de homicidio Caji pervenit ex confessione Sacramentali immediatè, mediatè autem per illicitam revelationem ad omnes alios, quibuscunque publica fama de illo innotuit; ergo hi omnes sunt obligati sigillo; ergo nec Confessarius potest in Judicio fateri factam à se revelationem; nec ullus testis de ea, vel de fama ejusque veritate testificari; ne quidem si & ille, & iste loquatur tantum de revelatione alicujus peccati in genere. Nam etiam hoc modo jam dicerent, aut facerent aliquid, unde omnes audientes venirent in cognitionem vel rationabilem suspicionem commissi à Cajo homicidii, sic discurrendo; Illud peccatum Caju commisit, quod Confessarius revelavit, & fatetur se ex ejus confessione revelasse, atque testes testantur; atqui juxta fa-

mam publicam, eamque vel veram juxta testium elogia, vel saltem non improbabilem, Confessarius revelavit homicidium Caji; ergo Caju verè, vel saltem non improbabiler commisit homicidium. Confessarius itaque hic fatendo, etiam generatim tantum & abstractè, se revelasse aliquod peccatum Caji; & testes vel de revelatione, vel de ejus fama itidem tantum generatim testando, frangunt indirectè saltem sigillum; ergo jam in Judicio nec ille fateri, nec isti testimonium dare de hac re licitè possunt. Unde jam neque Judex potest eos licitè ad aliquid tale dicendum aut faciendum inducere; quia hoc ipso induceret eos ad indirectam sigilli violationem, quod non est licitum.

283. Hoc argumento convictus memoratus Auctor, jam in cœlo, ut non minora virtutum quam litterarum decora sperare jubent, aternâ gloriâ, doctorumque laureolâ coronatus, primum docuit; & post accepta duorum Theologorum, quos consuluit, Responsa, cum ei non satisfacerent, constanter tenuit, contra sigillifragum Confessarium non posse in proposito casu judicialiter procedi, sine expressa pœnitentis licentia; qui tamen etiam illam pro suo arbitrio, & quidem etiam irrationabiliter possit, si velit, negare, negandòque processum impediri.

Quod si fama spargat, à Confessario fuisse non determinatum, sed tantum indeterminatum aliquod Caji peccatum revelatum, tunc idem Auctor censuit, Judicem posse in primis de fama, ejusque veritate generaliter inquirere; deinde speciali-

cialiter de ipso Confessario: & hunc posse quoque contra seipsum fateri delictum revelationis; nec non testes contra illum de eodem testificari; quia hinc neque Confessarius fatendo, neque testes testando frangunt directè aut indirectè sigillum. Nam ex revelatione peccati in genere, de qua sola hic est fama; & tam Confessarius, quàm testes loquuntur, nemo potest venire in cognitionem aut suspicionem alicujus peccati à Cajo commissi, & sub sigillo contenti; sed prorsus adhuc occultum & ignotum manet, an id, quod revelatum fuit, sit veniale vel mortale in specie, & quodnam illud; vel an sit mortale in genere. Unde jam nihil etiam obstat, quo minùs Judex quoque contra Reum per testes in Judicio possit licitè procedere.

Et ad posteriorem hunc casum quod spectat, potest quidem in eo utcumque servari sigillum inviolatum; quia tamen hoc modo non constat in Judicio de revelatione peccati, nisi tantùm in genere, adeo Confessarius si neget, non videtur posse per tam generalem & obscuram testium asseverationem satis convinci, condemnarique ad penam ordinariam, ut colligi potest ex dictis *sup. n. 279. v. si confessarius*. Ad procellum ergo Judiciale, de quo hinc sermo est, quia parùm vel nihil facit iste posterior casus, eum consultò præterimus.

Sed loquendo tantùm de priore, ita de eo ut dixi, sensit P. Gobatin anterioribus Quinarum sui editionibus. An in postrema Monacensi, quæ ferè cum vita Autoris fuit finita, aliquid circa sententiam illam immutaverit, nescio, quia exemplum illius nondum habeo. Opti-

mus Pater; non multò antè, quàm iterata illa susciperetur impressio, voluit pro insigni sui animi demissione, quàm etiam à Discipulis Magister discere cupiebat, hac super re per litteras meum sensum exquirere; & quia scivi viro candido placere candorem, apertè respondi, prædictam opinionem mihi non probari ob rationes, quas tunc in scripto inter alias occupationes deproperato transmisi, & ille ipse non omnino nihili faciendas esse judicavit. Ex illis aliquas nunc ita hinc propono.

§. II.

*Impugnatur prædicta Opinio.*

284. Itaque I. si contra confessarium, de quo publica fama cum veritate spargit, revelasse ex confessione v.g. homicidium à Cajo patratum, non potest Magistratus Ecclesiasticus judicialiter procedere inquirendo, testes examinando, reum confessum vel convictum puniendo &c. sine licentia expressa Caji; tunc sequitur, quòd Jurisdictio & potestas publica Ecclesiæ ad vindicanda puniendaque delicta publica, etiam enormia, atrocissima, & bono publico summè noxia (uti est violatio sigilli) non possit exerceri, nisi tantùm dependenter à libera voluntate & consensu vel dissensu, etiam irrationabili, unius alicujus privati hominis: atqui hoc non minùs absurdum & falsum est, quàm si diceretur, quòd Jurisdictio & potestas publica Ecclesiæ quoad obligandos suis legibus fideles non possit exerceri, adeoque eos ad illas non obligare, nisi dependenter ab arbitrio etiam irrationabili populi; imò & unius tantùm sui subditi & pri-

privati hominis, Quod est propositio 28. inter prohibitas ab Alex. VII. 1665. 24. Sept. Sequela Majoris est clara; & Minor constat ex connexionione, paritate, vel identitate inter utramque Ecclesiæ potestatem, Legislativam & Coactivam seu Vindicativam. Frustraneè scilicet profus Ecclesia posuisset, sicut de aliis rebus, ita & de sigillo servando leges, si temerarios, & præcipuè notorios illarum transgressores debitis pœnis coercere non posset absque consensu unius privati hominis, cui liberum sit, pro arbitrio eundem dare vel negare. Et quis non videt, quàm absurdè & malè dicatur, furem aut latronem non posse à Magistratu affici supplicio, nisi privatus homo, qui inde læsus est, consentiat? maximè si per idem furtum, vel lethalem vulnerationem simul etiam alicui tertio, in ejus potestate non constituto, grave damnum sit illatum; uti hîc Sacramento juxta dicenda *infra* n. 292. infertur gravissima irreverentia, & omnibus fidelibus magna injuria; quod enim in Religionem Divinam committitur, in omnium fertur injuriam juxta textum *l. Manicheos. 4. Cod. de Hæret. & Manich.*

285. II. Si Confessarius publicè coram tota communitate, aut majore ejus parte revelaret ex confessione v.g. homicidium Caji; & Caju, antequam id ei absenti innotesceret, mortem obiret; tunc sacrilegum istum Confessarium de notorio violati sigilli crimine nemo posset accusare, nemo posset contra illum testificari; & ne quidem Judex Ecclesiasticus ex officio quidquam contra illum statuere: atqui notoriam deliberatamque Sigilli Sacramentalis violationem debere in Eccle-

sia relinqui impunitam, est planè absurdissimum; & contra omnium fidelium sentum; quibus semper æquum visum est, ut immanissima ejusmodi sacrilegia par pœnæ magnitudo peccellar. *l. Quicumque. 8. §. 5. Cod. de Hæret. & Manich.* Sed & manifesta peccata cum non sint occulta correctione purganda. *cap. 1. de Pœnit. & Remiss.* multò minùs sunt impunita relinquenda. Probatur autem sequela, quia Caju, cum ante acceptam facti notitiam mortuus fuerit, nec ante dedit, nec jam dare potest licentiam; sine expressa autem licentia Caji nullus ex iis, qui sacrilegam homicidii revelationem audiverunt immediatè vel mediatè, potest quidquam dicere vel facere, unde illorum aliquis vel alius possit homicidium cognoscere; cum omnes sint sigillo obligati, quod hoc ipso saltem indirectè violarent; ut vult Autor sententiæ, contra quam argumentor.

286. III. Juxta sententiam, quam impugnamus, potest quilibet Confessarius cujusvis demortui pœnitentis quodvis peccatum; imò & integram quoque confessionem impunè revelare; modo id faciat coram duobus aut pluribus. Nam sive jam unus sciente alio, vel aliis, sive omnes simul accusent sacrilegum Confessarium, etsi de revelatione alicujus peccati tantùm in genere, tamen hoc ipso jam unus ceteris, uni vel pluribus; & omnes sibi invicem ingerunt iterum notitiam peccati revelati: atqui hoc illis, utpote sigillo obligatis non est licitum sine licentia pœnitentis, quam à mortuo jam non amplius habere possunt.

IV. Si prædicta sententia subsistat, tunc crimen violati sigilli est talis naturæ.

1. ut sine licentia pœnitentis nunquam possit probari per contestes. 2. ut si tertius aliquis accuset sigillifragum Confessarium, nunquam possit ad probandam suam intentionem adducere illum in testem, etsi innumeri interfuerint revelationi, eamque propriis auribus audiverint; imò 3. ut illud possit quidem accusari, si coram uno tantum, & in occulto; nequaquam autem si coram pluribus, & in publico sit commissum; uti ex præcedentibus duobus argumentis planum est; 4. ut illâ ipsâ lege, contra quam committitur, tutum sit & impune; possitque adeo 5. committens in legem legis auxilium invocare, & eodem gaudere: atqui hæc omnia sunt in Jure paradoxa, prorsus incognita.

287. V. Eadem sententia, de qua loquimur, aperit Confessariis improbis, qui tantum formidine pœnæ in officio contineri possunt, amplam viam ad revelanda peccata, & Confessiones tam vivorum, quam mortuorum; quia reddit illos ex magna parte immunes à pœna; cum, ut illa vult, non possint judicialiter accusari aut puniri sine licentia pœnitentis, quæ tamen sæpissimè ob ejus absentiam, amentiam, mortem, vel alium casum haberi non potest: atqui hoc plane est & Confessariis & omnibus fidelibus vehementer scandalosum, Mysteriis Divinis probrosum, Sacramento Pœnitentiæ odiosum, pœnitentibus injuriosum, bono publico, totique Ecclesiæ perniciosum, & Divinæ quoque Providentiæ, quæ in rebus & mediis ad bonum commune necessariis nunquam deficit, prorsus contrarium. Adde, quòd omnis dispositio, invitans aliquem ad delinquen-

R. P. Stoer Trib. Pœnit. Lib. II.

dum, sit ipso Jure nulla juxta textum. l. Illud convenire. 5. ff. de Publ. dotal. atqui lex de sigillo confessionis, quatenus, ut dicitur, vult & disponit, ut Confessarii sigillifragi, maximè notorii, nunquam possint sine licentia pœnitentis in Judicio accusari, convinci, puniri, invitat illos ad delinquendum; quia sicut facilitas veniæ, ita multò magis impunitas, incentivum tribuit delinquendi 23. q. 4. can. Est injusta. 33. ergo lex de sigillo, si talis foret, esset eatenus ipso Jure nulla. Certè sicut satis inhumanum videtur, per leges, quæ perjurium puniunt, viam perjurii aperiri l. 2. Cod. de indicta viduit. ita rectè rationi satis adversum est, per legem, quæ prohibet violari sigillum, viam violandi sigillum aperiri.

§. III.

Deciditur proposita Difficultas.

288. Aliter ergo sentiendum est de casu sup. n. 287. proposito, & omnino concedendum, quòd pœna, quæ in Confessarios sacrilegè linguatos à lege non frustra aut dicis tantum causâ statuta est, possit in illos vel confessos, vel testibus plenè convictos judicialiter decerni, quòdque adeo quilibet, ad quem sacrilega peccati determinati, vel mortalis indeterminati revelatio, publicè vel occultè, coram uno vel pluribus, adhuc vivo vel jam mortuo pœnitente facta, pervenit, possit liberè & licitè eam ad Judicem deferre; Judex inquirere, testes in Judicio testificari, reus ipse fateri, sententia in eundem ferri, & executioni mandari, non tantum cum, sed etiam sine licentia pœnitentis, nihil obstante sigillo, quòd illos

Z

illos obligat. Fundamenta hujus meæ Resolutionis sunt seqq.

289. I. Ipse P. Gobat in *Exper. Theol.* 17.7. n.852. relatus à me *sup. n. 207.* ait, se non posse negare in praxi probabilitatem illi sententiæ, quæ docet, excepto Confessario, neminem alium, adeoque nec illos, quibus sacerdos sine licentia revelavit sacrilegè alterius confessionem, obligari sub sigillo propriè dicto, sed tantùm sub *secreto* merè naturali, eoque tali, quod ad avertendum gravissimum malum in extrema necessitate, præsertim publicâ, possit licitè absque ullius alterius consensu manifestari; atqui violatio sigilli Sacramentalis est gravissimum malum, præponderans omnibus aliis, etiam ruina: integri Regni & totius Mundi *sup. n. 110.* neque potest aliter satis evitari, quàm denunciando reum, accusando, contra illum inquirendo, testificando, exequendo &c. ergo dato casu potest Accusator, Judex, & Testis secretum naturale, sub quo solo pœnitentis peccatum, ex sacrilega revelatione vel ejus famâ cognitum, servare tenentur, licet aperire sine omnia illius licentia; imò & illo invito. Solus ergo Confessarius, utpote sigillo propriè dicto obligatus, haberet juxta hoc fundamentum adhuc aliquam in fatendo suo delicto difficultatem. Sed & ista non est insuperabilis. Nam

290. II. Multi docent, quòd Confessarius, qui de publico peccatore v.g. usurario, concubinario &c. vel de occulto quidem, sed tantùm illi, cui ipsius peccata jam antè sunt aliunde nota, dicit generatim tantùm *sibi illum sua peccata bene esse confessum*, nec directè, nec indi-

rectè frangat sigillum. *sup. n. 223.* Item quòd Confessarius ex notitia confessionis licitè possit quidpiam dicere aut facere, quòd secundùm se non est revelationum ullius peccati in specie, aut alicujus mortalis in genere; etiamsi alii, quibus peccatum pœnitentis jam antè & aliunde notum est, advertant id dici aut fieri ex audita confessione peccati. Ratio eorum est, quia in utroque casu ex tam generali & indifferenti dicto vel facto secundùm se spectato nemo, qui audit vel videt, potest cognoscere commissum esse ab alio ullum peccatum in specie, nec etiam aliquod mortale in genere; etsi aliqui, quia is peccatum commissum jam antè & aliunde est notum, ideo ex ejusmodi dicto vel facto colligant, id à pœnitente esse confessum; ergo ex dicto vel facto illo non cognoscunt confessionem peccati (quia ex se eam non significat) sed tantùm ex antè noto peccato, & simul ex dicto aut facto illo cognoscunt ejusdem peccati confessionem: quòd juxta istos Autores non est contra sigillum. *sup. n. 253.*

Hæc ergo doctrina si sit vera, res est hîc jam expedita, modò de Confessario, quem publica fama fert, vel notorium est, revelasse certum peccatum Caji, v.g. homicidium, Accusator, Testis, Judex, & ipse quoque Confessarius fatendo, dicat generatim tantùm (quòd, ut P. Gobat *sup. n. 283.* vult, sufficit) revelasse aliquod peccatum Caji, neque id specialius expriment. Sic enim argumentor. Ille non frangit sigillum, ne quidem indirectè, qui tantùm dicit aut facit aliquid, quòd secundùm se neminem ducit, aut ducere potest in cognitionem aut suspitionem

P. Sto.

Tribu m.

Poenite m

E m

S m

cionem de aliquo alterius peccato in specie, vel mortali in genere; etiamsi alii, quibus id jam antè & aliunde notum est, hoc quoque possint inde colligere; atqui Accusator, Testis, & Judex dicendo generatim tantum, Confessarium revelasse peccatum aliquod Caji; & ipse Confessarius hoc fatendo, dicunt tantum id, quod secundum se neminem ducit, aut ducere potest in cognitionem aut suspicionem de aliquo Caji peccato in specie, vel de aliquo ejus mortali in genere. *sup. n. 283, v. Quod si.* nisi tantum illos, qui id aliunde jam sciunt vel ex fama, vel ex ipsa notoriè facta revelatione, ergo &c. Minor est clara. Major autem est fundamentum doctrinæ hinc suppositæ.

Ego quidem *ll. cc.* negavi Majorem, & dixi, memoratam doctrinam, quia minus favet sigillo, non esse admitteendam in praxi. Sed si non superesset alius modus legitimandi processum Judicialem contra sigillifragos Confessarios, posset & deberet in isto saltem casu admitti; cum, quod de Jure non est licitum, necessitas faciat licitum. *cap. 4. de R. l.*

Fortassis tamen alicui videri posset, non omnem operam perdere, qui pro fundamento ponere vellet etiam istud.

291. III. Id, quod unice tendit tanquam medium utile, & in foro externo ordinarium atque necessarium ad sigillum sanctè servandum; & si quando malè apertum fuerit, ad illud iterum claudendum atque redintegrandum, non est, nec esse potest contra sigillum: sed quòd aliquis possit sigillifragum Confessarium in foro externo accusare, contra eum testificari, inquirere, sententiam fer-

re & exequi; ipse quoque reus delictum fateri, non tantum cum, sed etiam sine licentia pœnitentis (maximè si ea, ut sapè fit, haberi non possit) tendit prædicto modo unice ad sigillum sanctè observandum, & post malam aperturam denudè arctè claudendum ac redintegrandum; ergo tale quid dicere aut facere, etiam sine licentia pœnitentis, maximè si haberi non possit, non est, nec esse potest contra sigillum. Major hujus Argumenti est clara, quia in nullo Jure reperitur ulla lex aut obligatio tam heteroclitica, quæ prohibeat aut impediatur media ad sui observationem utilia, in foro externo ordinaria & necessaria; esset enim sibi ipsa contraria & repugnans. Sed neque Minor habet magnam difficultatem. Ut enim ad leges de actibus externis observandas subditi compellantur, medium utile, & in foro externo ordinarium atque necessarium sunt pœnæ statuta, & transgressoribus infligendæ judicialiter, intervenientibus accusatoribus, testibus, Judicibus &c. Frustra nimirum sunt leges, si Custos seu Judex desit, qui earum observantiam urgere possit coercendo transgressores per pœnas legitimo seu judiciali ordine inferendas. *Nov. 133. cap. 4.*

292. Quòd autem Accusatio, Testificatio &c. in causa fracti sigilli fieri possit etiam sine licentia pœnitentis, videntur persuadere seqq. Rationes. Tum quia illa etiam sine licentia pœnitentis, maximè cum hæc haberi nequit, sunt medium utile, ordinarium atque necessarium ad sigillum servandum & reparandum. Tum quia violatio sigilli cedit non tantum in injuriam pœnitentis contra Justitiam, sed etiam in irreverentiam & profana-



fanationem Sacramenti contra Religionem *sup. n. 186.* gravissimèque ladic bonum publicum Ecclesiæ; & omnes fideles *juxta l. Manicheos. sup. n. 284. allegatam.* ergo pœnitens, etsi negando licentiam videatur condonare injuriam sibi illatam, non tamen per sublequentem hanc suam condonationem tollit delictum antea commissum; nec etiam impedire potest; quo minùs legitimus Magistratus in foro externo propterea contra reum judicialiter procedat, & puniat; sicut ille, qui furtum passus est, per suam condonationem impedire non potest, quo minùs Magistratus contra furem in Judiciò procedat, eumque suspendat. Tum quia ad hoc, ut sigillum servetur, non est opus ulla licentia pœnitentis; cum ad id Jure naturali, divino, & humano teneamur. *sup. n. 184.* ergo nec opus est licentiâ pœnitentis ad ea, per quæ velut media ordinaria & necessaria fit, ut servetur; sicut fit per Accusationem, Testificationem &c. contra sigillifragos confessarios. Si enim judicialiter constet, famam de homicidio v. g. Caji fuisse ex sacrilega Confessionis Sacramentalis revelatione ortam, tunc statim illud Caji peccatum, sicut antè, ita & deinceps debet iterum sic servari apud omnes occultum, ut de eo sine licentiâ Caji nemo cum illo, vel cum ullo alio loqui aut agere quidquam possit; nec ejusdem notitiâ unquam cum ulla molestia Caji uti; perinde ac si de illo homicidio Caji nihil unquam in toto orbe fuisset audirum. *sup. n. 157.* Unde fatùs patet, Judicium ejusmodi de sigillo ejusque violatione esse ordinatum ad tuendum firmandumque

sigillum adeoque in eo contra sigillum nihil agi aut peccati.

293. IV. Et præcipuum Fundamentum videtur desumi posse ex Christi institutione, & Regimine Ecclesiæ, à Christo utique perfectè ordinato. Eam ergo dedit Christus Ecclesiæ potestatem, quæ ad fideles gubernandos est in utroque foro, interno & externo necessaria, per illud *Matth. 16.* Tibi dabo claves Regni Cælorum &c. adeoque ut subditorum delicta externa, maximè publica, omnibus scandalosa, bono communi summè damnosa, Religioni venerationique Sacramentorum contraria possit etiam in foro externo judicialiter cognoscere, punire, atque ita illa impedire; & quidem absolutè liberè, ac independenter à licentia seu consensu populi, & vel maximè ab arbitrio unius tantùm privati hominis, qui pro libitu, etiam irrationabilissimè, possit licentiam negare; sæpe quoque non ampliùs in eo statu sit, ut, si vellet, dare possit. Talem enim potestatem habet, & habere debet qualibet benè perfectèque ordinata, & nullum in terris superiorem recognoscens Respublica; cum alioqui non esset sufficiens ad seipsam regendam: neque DEUS sufficienter providisset Ecclesiæ, si prædictam ei potestatem non dedisset. Atqui sacrilega violatio sigilli est delictum externum, enorme, atrox, & unum ex iis, de quibus modo dixi; ergo Christus dedit Ecclesiæ potestatem de eo in foro externo judicialiter cognoscendi absque ulla licentia ejus, cujus peccatum est revelatum, maximè si iste eam irrationabiliter neget, vel in eo statu sit, ut ab eo nemo

P. Sto;

Tribu n.

Pœnitentia

Enn

S. I. d.

mo amplius petere, aut obtinere possit. Videtur ergo sigillum ejusque obligatio fuisse hoc ipso ita à Christo instituta & taxata, ut, sicut non prohibet sui observationem, ita etiam non prohibeat ea, quæ ad sigillum servandum, ejusque violationem impediendam sunt in foro externo media ordinaria & necessaria.

294. Confirmatur. Violatio sigilli non est casus Metaphysicus, & referunt DD. sæpius, prò dolor! jam contigisse. De pœna quoque sigillifragis Confessariis infligenda agunt passim: Theologi in *tr. de Pœnit.* & Canonistæ in *cap. Omnis utriusque*. neque ullus, quod sciam, unquam docuit, crimen hoc debere in Ecclesia impunitum manere, sicut sæpè fieri necesse est, si semper prius, quàm contra reum agatur in Judicio, licentia pœnitentis, cujus peccatum revelatum est, petenda sit & impetranda; ergo hoc ipsum satis indicat, DD. judicasse, quòd ea, quæ in processu de violato sigillo aguntur, non sint contra sigillum, nec ad ea opus sit licentia pœnitentis.

## §. IV.

*Respondetur ad Argumentum contrarium supra positum.*

295. Ex allatis quatator fundamentis non est admodum difficile respondere ad Rationem dubitandi *sup. n. 282*, propositam. Nam

Juxta I. *sup. n. 289*. traditum sic distingui potest. Qui sine licentia pœnitentis dicit, vel facit aliquid, unde alii veniunt in cognitionem aut rationabilem suspicionem de peccato pœnitentis ex sola ejus confessione Sacramentali noto, fran-

git directè vel indirectè sigillum, si sit ipse Confessarius, qui dicit, transeat; si sit alius, nego.

Juxta II. *sup. n. 290*. positum distinguendum est hoc modo: Ille frangit directè vel indirectè sigillum, qui dicit, vel facit &c. quod *ex se* & *secundum se* ita revelativum est peccati, ut inde hoc cognoscere vel rationabiliter suspicari possint etiam illi, quibus peccatum illud non jam antè & aliunde est notum, transeat: qui tantum dicit, vel facit aliquid, quod *ex se* non est tale, dicendo v. g. in genere tantum: *Titius Confessarius revelavit peccatum Caji*, nego; etiam si inde quoque iis, quibus peccatum jam antè est notum, præbeat occasionem cogitandi, quòd pœnitens illud sit confessus:

296. Juxta III. *sup. n. 291*. declaratum, videtur satis aptè sic distingui posse: Ille violat sigillum directè vel indirectè, qui dicit vel facit aliquid, quod non est unicè intentum tanquam medium utile & in foro externo ordinarium atque necessarium ad ipsum sigillum servandum vel redintegrandum, concedo; qui tantum aliquid dicit, aut facit, quod est tale, uti est accusatio, inquisitio, testificatio &c. contra sigillifragum, nego.

Juxta IV. *sup. n. 293*. statutum, habere locum potest ista distinctio: Indirectè saltem frangit sigillum, qui dicit, vel facit aliquid, unde aliis peccati ex sola confessione cogniti ingeneratur notitia vel rationabilis suspicio, si id non sit necessarium ad exercendam potestatem publicam, Ecclesiæ à Christo concessam contra sigillifragos Confessarios, concedo; si id sit necessarium ad hunc finem, uti est inquirere, accusare, testificari &c. nego.

nego, quia eo ipso, quod aliquid tale sit, jam spectat ad sigillum, ejusque observantiam: ergo non est contra sigillum aut sigilli obligationem.

## §. V.

*Referuntur, & solvuntur adhuc alia quadam Argumenta.*

297. Tria adhuc sunt, quæ videntur potuisse Patrem Gobat in sua opinione confirmare, ut ipse in suis responsoriis ad me datis an. 1677. indicavit. I. quod Mediolano intellexerit, Sacram Inquisitionem illius loci nunquam adhuc suscepisse ullam causam fracti sigilli. II. quod unanimes sententia DD. sit, sub sigillo contenta in hoc solo & unico tantum casu posse revelari, si pœnitens expressam licentiam voluntariè & liberè concedat. *sup. n. 190.* III. quod Christus, si voluit, utique potuerit obligationem sigilli facere talem & tantam, ut etiam tunc, cum est publica fama, vel notorium, vel etiam solum pluribus notum, à Confessario certum alicujus peccatum v. g. homicidium Caji fuisse sacrilegè revelatum, nemo unquam sine licentia pœnitentis contra reum possit quidquam movere accusando, inquirendo, testificando, condemnando &c. atqui Christum de facto voluisse, ut obligatio sit talis, videtur colligi ex eo, quod DD. omnes consentiant, sub sigillo contenta non posse in ullo excogitabili alio casu revelari, quam si pœnitens det facultatem.

298. Sed etiam ista non habent admodum difficilem solutionem.

Ad primum jam *sup. n. 276.* dixi, Judicem in causa fracti sigilli non esse Sa-

cram Inquisitionem, nisi sit mixta cum hæresi.

299. Ad secundum dico, per ea, quæ tendunt & ordinantur ad sigillum servandum & redintegrandum (uti sunt etiam judicialis accusatio, testificatio, punitio, &c.) non revelari, nec posse ullo modo censeari, quod per ea revelentur contenta sub sigillo, ut probatum est. *sup. n. 292.* Certè non potest ullo modo censeari infamare Cajum ille, qui de infamia ipsi illata reum inferentem accusat, contra reum de eadem testificatur &c. Itaque juxta hujus quoque sententiæ fundamenta manet si mum, quod sigillum in nullo casu sit sine licentia pœnitentis revelabile.

300. Ad tertium Resp. sicut Christus, si voluisset, potuisset obligationem sigilli à Sacramento Pœnitentiæ omnino colere, *sup. n. 184.* ita potuisset etiam velere, ut in aliquibus casibus etiam publica violatio sigilli maneret in externo Ecclesiæ foro impunita, nisi pœnitens licentiam dedisset. Christum autem non hoc sed contrarium voluisse, suadet & probatur ex eo, quod alioquin Ecclesia non haberet sufficientem potestatem regendi seipsam, puniendique externa delicta, sibi suoque bono publico perniciosissima, ut constat ex dictis. *n. 284. cum seqq. & n. 293.*

## §. VI.

*Examinantur ulterius Opiniones contraria fundamenta.*

301. Scripserunt jam hæc omnia, cum tandem ad manus venit Quinarijus R. P. Georgii Gobat, postremâ Monacensis præli

prædicatione vulgatus. Reperi ibi *tr. 5. cap. 42. in Appendice post n. 246. postea* totum meum scriptum, quod jam 13. Julii 1677. ad illum festinante calamo exaratum transmisseram, verbatim, quamvis non sine omnibus typi mendis, à *litt. B. ref. que ad P.* insertum. Arbitratur quidem cit. Autor, sibi nihilominus adhuc in sua persistendum esse sententia; sed ut apparet, haud parùm de firmitate adhesionis remisit, quia ibid. *litt. A.* agnoscit rationes in contrarium allatas esse nervosas, & *litt. Q.* fatetur iis nervosius impugnari suam opinionem, quam antè sit ab aliis, quos consuluit, factum; idèmq; sentire mecum duos vel tres alios publicos Theologiae & SS. Canonum Professores; ac denique *litt. ZZ.* sub finem longæ suæ dissertationis: *Fortè erit, inquit, qui his cognitis arripiat & ipse calamum, & meam Resolutionem magis aut declaret, aut corroboret, aut mitiget.*

302. Pro Clypeo, quo suam nunc tueretur assertionem, objicit P. Gobat præcipuè argumentum tertio loco *sup. n. 297.* allatum, & à voluntate Christi, qui Sacramentum Pœnitentiæ instituit, sigillòque munivit, desumptum. In formam hîc ita redigo: Christus, sicut potuit velle, ita reipsâ voluit, obligationem sigilli esse talem & tantam, ut sine licentia pœnitentis non possit judicialiter procedi contra Confessarium, qui, ut fama publica fert, de certa persona certum aliquod peccatum v. g. homicidium Caji, ex sola ejus confessione notum, revelavit; ergo nulla ratione potest evinci, ut aliud liceat. Antecedens, in quo solo consistit tota difficultas, deberet probari vel ex S. Scriptura, vel ex definitione alicujus Concilii, vel

ex singulari aliqua ratione; nihil autem horum invenio apud cit. Autorem qui illud solùm colligit ex eo, quòd traditio Ecclesiæ, & unanimis DD. quos magno numero refert, consensus sit, Christum voluisse obligationem Sigilli esse tam firmam, ut in nullo excogitabili casu & ob nullum finem violari possit, peccatum aliquod ex sola confessione notum sine licentia pœnitentis revelando, uti & ego *sup. n. 190.* pluribus ostendi, sed si contra sigillifragum Confessarium, de quo agimus, judicialiter sine licentia pœnitentis procederetur, violaretur sigillum; & quidem *directè*, si Confessarius, testes, & Judex loquerentur de revelato peccato in specie; vel saltem *indirectè*, si de eo agerent tantùm in genere, ut constat ex dictis *sup. n. 192.* ergo Christus voluit, obligationem sigilli esse tantam, ut etiam non possit contra sigillifragum Confessarium judicialiter procedi sine licentia pœnitentis.

Confirmat hæc Autor *l. c. lit. QQ.* Responso, quod Reverendissimus Archiepiscopus Curia: Mediolanensis Vicarius in Criminalibus ad propositam Quæstionem dedit his verbis: *Si Cajsus pœnitens non conqueritur, nec querelam porrigit, Judex Ecclesiasticus non potest, nec debet ex officio contra Confessarium procedere; quia agitur de delicto privato; & esset in præjudicium Caji pœnitentis; constituendo illum reum de tali delicto, quod posset constanter negare.* Ita ille, ait que Gobat *l. c. litt. VV.* eum hîc apertè negare esse quidquam nisi cum pœnitentis consensu faciendum.

Quid de robore hujus Clypei, totòque discursu sentiendum sit, satis quidem superque constare potest ex iis, quæ à §. 2. huc-

hucusque dicta sunt; nihilominus tamen, ut rei veritas, quam non tantum Philosophi, sed etiam Theologi sæpius experiuntur, in puteo latere, magis in lucem protrahatur, quod ipse P. Gobat exoptat, ulterius & accuratius eum considerandum duxi. Itaque

303. 32. Negando Ant. idque I. quia fundamentum negandi habemus in S. Scriptura. Nam Christus cum *Matth. 16.* dedit Ecclesie in persona Petri claves regni caelorum; & *Joan. 21.* potestatem pacificandi suos agnos & oves, dedit potestatem etiam errantes reducendi, & ob commissa peccata puniendi in utroque foro interno & externo, neque ullam limitationem aut exceptionem apposuit; ergo non debet, nec potest à nobis apponi; nisi aliunde aliud de voluntate Christi aperte constet. Hinc Innocentius III. *cap. Novit. 13. de Jud. jure meritoque: Nullus*; inquit, *quis sit sana mentis, ignorat, quin ad officium nostrum spectet de quocunque peccato mortali corrigere quemlibet Christianum; & si correctionem contempserit, per districtiorem Ecclesiasticam coercere.* Idque pluribus testimoniis probat *ibid. §. Quod enim.* Confirmatur. Nullum est peccatum internum, de quo Ecclesia vi potestatis sibi à Christo *ll. cc.* concessæ non possit in foro interno judicare, & quoad illud sicut volentem solvere, ita & invitum ligare, si necesse sit; ergo etiam nullum est peccatum externum & publicum, de quo Ecclesia non possit judicare in foro externo & delinquentem subditum punire, etiam invito quocunque alio fidei, maxime si peccatum ejusmodi sit etiam notorium, atrox, & hono communi Ecclesie summè damnosum; uti esse ab

omnibus agnoscitur violatio sigilli sacramentalis per revelationem etiam minimi peccati. Et verò quis credat, Christum, qui iisdem verbis dedit Ecclesie potestatem pro utroque foro, dedisse pro interno quoad interna illimitatè, & pro externo quoad externa limitatè, darique tam magnam æquivocationem in una eademque non magnà sententiâ.

II. In V. T. nullum fuit peccatum externum & publicum, maxime bono communi valde perniciosum, de quo Synagoga non potuerit in foro externo judicare, illudque punire, si aliquis ex subditis id commisisset; & Imp. Justinianus de sua seculari potestate pro foro civili loquens *Nov. 129. in princ.* Nullum, inquit, ita magnum est subjectorum nostrorum delictum, quod non nostra Clementia medeatur; ergo credi non potest, dari aliquod tale in Ecclesia, quia hæc utique non minorem in suos subditos accepit à Christo potestatem, quam olim Synagoga in suos à DEO, aut Imperator.

304. III. Nemini ex priyatis neganda est sui suorumque defensio; quia omnes leges, omniâque jura, naturale & positivum, tam divinum quam humanum, civile & Ecclesiasticum eam permittunt, *l. Scientiam. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil. cap. Olim. 12. de Restit. spoliar. & cap. Dilecto. 6. de sent. Excom. in 6.* ubi dicitur, quod etiam cuilibet liceat suo vicino vel proximo pro repellenda ipsius injuriâ suum impetiri auxilium; ergo multò minùs neganda est, aut dici potest negata esse toti alicui communitati pro se & membris suis; maxime illi, quæ nullum in terris Superiorem recognoscit, ad quem confugiat, uti est Ecclesia: atqui Confessarius,

P. Sto;

Tribu in.

Poanite in.

E. M.

S. H.

qui sigillum sacramentale violat, & revelat, maximè publicè, & in cœtu plurium hominum, determinatum peccatum certæ personæ, non tantùm lædit illam personam, sed etiam summâ irreverentiâ afficit Sacramentum Pœnitentiæ; cùmque hoc sit unum inter maxima & summè necessaria Ecclesiæ bona, gravissimum infert Ecclesiæ damnum; imò & omnibus fidelibus intolerabilem injuriam. *Argum. 1. Manicheos. 4. Cod. de Hæret. & Manich.* ergo Ecclesiæ non est neganda, nec dici potest, esse ei à Christo negata potestas, se & sua bona defendendi, suam suorumque injuriam repellendi; ergo nec potestas judicialiter procedendi contra ejusmodi sigillifragos, & toti Christianæ communitati perniciosissimos Confessarios; cùm Ecclesia in foro externo non habeat aliud contra eos sufficiens remedium.

IV. Christus dedit potestatem, & media sufficientia Ecclesiæ, ut alia Sacramenta, tanquam preciosissimum thesaurum suum, possit in foro etiam externo servare illæsa, & usu eorum cavere fidelibus à damnis & injuriis, maximè valde gravibus; unde & in Sacramento Matrimonii clandestinum viri & fœminæ consentum, qui diu erat validus & sufficiens ad contrahendum, reddidit tandem in *Trid. Sess. 24. de Reform. Matr. cap. 1.* invalidum, ut debita Sacramento reverentiâ illæsa, & fideles à gravibus damnis & injuriis immunes servarentur; ergo similem quoque potestatem & media dedit Christus Ecclesiæ in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ; illud ab irreverentiâ, & fideles in ejus usu à damnis & injuriis custodiendi; atqui Ecclesia non haberet media ad hoc sufficientia, nisi Christus ei dedisset pote-

statem in foro externo judicialiter procedendi contra sigillifragos Confessarios, & quidem independentè à licentiâ pœnitentis, saltem tunc quando hæc obtineri non potest, cùm alioqui sæpe deberet publicam & notoriam sigilli violationem, indéque redundantia in fideles damna & injurias tolerare, impunita relinquere, atque ipsâ impunitate Sacramentum & fideles frequentioribus & gravioribus læsionibus obnoxios habere; ergo censerî non potest, nec dici, Christum Ecclesiæ negasse hujusmodi potestatem. Taceo alia *sup.* jam allata.

306. Neque dicas, disparitatem esse, quòd Sacramentum pœnitentiæ, non item alia, habeat annexum sigillum. Nam in primis sigillum, si obligat, utique eo modo obligat, qui magis ad ejus observationem, quàm violationem conducatur; ergo ut vi sigilli non debeant publicæ ejus violationes necessariò manere in multis casibus impunitæ; uti fieret, si Confessarius sacrilegus sine licentiâ pœnitentis nunquam posset judicialiter puniri. Deinde obligatio sigilli mensurari debet à fine, quem Christus in ea statuenda intendit; & est, ut quævis sua peccata homines cum omni integritate materiali confiterentur; & Sacramentum, quod ratione suæ necessitatis omnibus voluit esse amabile, nemini ullo modo ob periculum revelandi fieret odiosum; atqui ad hunc finem multò magis conducit obligatio sigilli, prout à nobis, quàm prout ab Adversario explicatur, ergo etiam pro tali, & non pro alia habenda est, censendumque, talem quoque esse à Christo institutam, & non aliam.

307. Quæ ad probationem Anteced-

Aa

den-

dentis, hucusque impugnati, afferuntur *sup. n. 302.* facile quoque dilui possunt ex quatuor Responsionibus §. 4. datis. Hic ramen ulterius *z.* nego min. quia processus judicialis contra Confessarium sigillifragum, ex se & ex dispositione SS. Canonum, præcipue tendit ad sigillum melius servandum, cohibendo malitiam hominum etiam incusâ formidine pœnæ; uti & ad ipsum sigillum, si quando malè fractum sit, redintegrandum, ergo non est contra sigillum, nec per eum violatur sigillum, sicut id, quod juxta leges tendit ad Justitiam servandam, aut lætam redintegrandam, non est contra Justitiam, nec violat Justitiam. Quod autem sigillum, si violatum sit, iterum per processum plenè redintegretur, sic demonstro: Quamprimum authenticè constat, Caji delictum v.g. homicidium fuisse ex sola ejus confessione sacramentali à Confessario revelatâ cognitum; aut famam de eo delicto fuisse solùm ex illa revelatione ortam, debet id ita apud omnes manere occultum, ut sicut antè, ita & deinceps nemo amplius vel cum Cajo, vel cum aliis quidquam de eo dicere, aut quidquam propterea in aliquod Caji incommodum agere possit; atqui per processum authenticè constat, Caji homicidium v.g. esse ex sola confessione sacramentali revelata cognitum, aut famam de eo esse solùm inde exortam, ergo per processum plenè perfectèque redintegratur, & denuo occluditur sigillum, antea malè apertum, ut *sup. quoque n. 292.* indicavi.

308. Deinde quamvis omnes doceamus, sigillum confessionis in nullo casu, nec ob ullum finem esse violandum, nihilominus tamen I, Suar, & alii ipsum se-

cuti *sup. n. 194 V.* Aliqui, censent, Confessarium posse etiam invito pœnitente agere cum illo extra confessionem, etiam post aliquod temporis intervallum, de peccatis confessis, si putet esse necessarium ad aliquem errorem suum corrigendum, & pœnitens licentiam petitam neger. II. Multi *sup. n. 253.* relati docent, si quis se apud me in confessione de infidiis, ab ipso vel sociis ejus mihi paratis, accuset, me posse illas per externum aliquod medium v.g. fugam, associationem aliorum, observationem ædium &c. vitare, etiamsi inde pœnitenti, vel ejus sociis ingeratur cognitio peccati confessi; modo aliam causam prætexam. III. Aliqui, ut Conine, Palao & Tamb. ajunt, superiorem posse obstruere fores, visitare sapius locum &c. ad impediendum peccatum, etiamsi pœnitens inde rationabiliter suspicari possit, id fieri tantum ob suam confessionem, in qua se antea apud ipsum de tali peccato reum fecit &c. Volunt autem nihilominus isti DD. omnes, hoc modo nullatenus violari sigillum, sed posse talia agi eo per omnia salvo; cur ergo non etiam Confessarius, qui publicè & coram magna hominum turbâ revelavit v.g. confessionem Caji de homicidio, possit salvo in violatòque sigillo fateri in Judicio, se fregisse sigillum? cur non & testes testari, & alii possint de eodem illum accusare, & Judex punire? Hæc enim omnia directè tendunt ad sigillum antea malè fractum redintegrandum; illa autem priora tendunt ad id potius aperiendum; ergo omnes qui priora Confessario permittunt, & quidem tantum vel ob reverentiam Sacramenti debite perficiendi, ut in primo casu; vel etiam tantum ob privatam ipsius Confessarii bonum

P. Sto

Tribu n.

Poenite n.

E n

S. I. A.

num, ut in duobus aliis; debent sanè etiam hæc posteriora eidem, uti & Judici ac testi permittere; quia par urget Sacramenti reverentia, & non privati tantum, sed publici boni necessitas. Certè Doctor ille Theologus, quem P. Gobat *cit. tr. 5. cap. 42. n. 236.* longo usu perquam peritum nominat, & jam antè consuluerat, expressè scripsit, Confessarium judicialiter de fracto sigillo accusatum, posse fateri, *se illud fregisse*; neque tamen tunc P. Gobat illum propterea impugnavit.

309. Unde mirum est, eundem P. Gobat *l. c. in Append. ad n. 246. lit. LL.* putasse, quod nemo suorum DD. permitteret, ut Confessarius adigatur ad fatendum, se omnino fregisse sigillum; & *ibid.* opinatum esse, hanc doctrinam adversari *communi omnium eruditorum sensui*, adeoque se non posse nostræ sententiæ acquiescere. Æquè miror, eundem Autorem docuisse, quòd Confessarius, qui dixit, se scire ex sacramentali Confessione Cajii, illum fecisse hoc & hoc v. g. homicidium; teneatur in Judicio rotundè inficiari, *se quidquam cuiquam unquam usquam de illo homicidio locutum fuisse, utendo equivocationibus &c.* Nam si Confessarius id dixit publicè in magno hominum cœtu, tenebitur negare id, quod notorium est, & totam audientium multitudinem, id testificantem, arguere surditatis vel falsitatis; quod hominis esset non tam impudentis, quam amentis. Potest ergo & debet ita dicere: *Ego fateor, me nuper dixisse, quòd Cajus mihi sacramentaliter confessus sit homicidium; sed malè locutus sum; ex Confessione ipsius de homicidio nihil scio, nihil audivi.* Et in his verbis, nihil est, quod,

sectando etiam Adversarii opinionem, pro piaculo haberi possit.

310. Sed juxta meam sententiam nondum satisfacit Confessarius, si ex primo illius dicto fama publica de illo Cajii delicto exorta est; & multò minùs, si ex eo solo capite inquisitio facta, reperta apud Cajum cædis indicia, & ipse reus esse deprehensus est. Nam tunc si aliter fama extingui, aut Cajus adhuc vivus à supplicio, vel jam defunctus ab infamia, vel innocentes ejus hæredes à compensatione gravis damni liberari non possint, debet Confessarius in Judicio accusatus, idoneis testibus dictum illius plenè probantibus, non tantum fateri, se id dixisse; sed insuper fateri, se id ex sola sacramentali confessione scivisse; sicut etiam ex ea sola scivisse præsumitur, si Autorem, à quo habeat, nullum possit nominare. Ratio hujus meæ sententiæ est, quia Confessarium ad hoc obligat non tantum Justitia, vi cuius tenetur eo modo, quo potest, à Cajo vel ejus hæredibus avertere damnum, cum ipse suâ culpâ fuerit ejus causa; sed etiam eum obligat ipsum sigillum, quod, sicut exigit, ut semper integrum servetur, ita quoque exigit, ut cum malè fractum est, eo modo redintegretur, quo potest; atqui fatendo vel in genere, se fregisse sigillum; vel in specie, se homicidium Cajii novisse ex sola ejus confessione sacramentali, potest damnum à Cajo ejusve hæredibus avertere, & sigillum malè fractum redintegrare, ut *sup. n. 307.* probatum est; & in dato calu aliter non potest; quia aliter nec fama sopietur, nec Judex processum abrumpet, nisi constet & illam, & istum à confessione sacramentali suam habuisse



buisse initium; ergo in dato casu Confessarius non satisfacit, si solum dicat, *se male fuisse locutum, se nihil ex confessione Caji fecisse*; sed debet fateri, *se ex illa sola suam habuisse de Caji delicto notitiam.*

311. Confirmatur. Obligatio sigilli non est tantum Justitiæ, sed & Religionis, *suprà n. 186.* Religio autem sicut obligat, ut Sacramentis nulla inferatur irreverentia, ita etiam obligat, ut quæ iis illata est, non maneat, sed tollatur, si potest; ut patet in exemplo SS. Eucharistiæ, quæ vi Religionis non est in loco indecenti ponenda; & sibi posita sit, inde amovenda est. Unde talis irreverentia Sacramenti passim à DD. vocatur *Injuria Sacramenti*; quia in hoc est valde similis injuriæ, quæ nemini inferenda, & si cui illata sit, iterum abroganda est: ergo sigillum sicut vi *Justitiæ* obligat, ut per revelationem nemini damnum inferatur, & ut illatum auferatur; ita etiam *vi Religionis* obligat non tantum, ut Sacramento Pœnitentiæ nulla irreverentia per revelationem alicujus peccati inferatur, sed etiam ut nulla per eam illata maneat, sed auferatur, & peccatum revelatum rursus sigillo claudatur; quod solum fieri potest, & non aliter, quam, si Confessarius fateatur, se id, quod dixit, ex sola confessione habere.

312. Ex quibus omnibus patet I. sigillum Confessionis ad eò à nobis non laxari, ut multò arctius, quam Adversarii, constringamus, tam quoad obligationem *Religionis*, quam quoad obligationem *Justitiæ*. Illi enim tantum volunt, sigillum obligare, ne in ullo casu frangatur; si quando autem fractum sit, non obligare, ut redintegretur, aut ut inde conjectus in periculum vitæ, vel aliud quodcunque gra-

ve damnum juvetur, sed utrumque potius impedire. Nos verò asserimus, sigillum non tantum obligare, ut non violetur; sed insuper *vi Religionis* ita stringere, ut si fractum fuerit, redintegretur, modo *suprà* dicto; & *vi Justitiæ*, ut periculum aut damnum aliis illatum, quantum fieri potest, auferatur.

Patet II. quòd sicut ex DD. *num. 308.* relatis quisque juxta diversam suam opinionem, ejusque materiam diversimode distinguit hanc propositionem: *Ille frangit sigillum, qui sine licentia pœnitentis aliquid dicit, vel facit, unde ipsi vel aliis vitia peccati ex sola confessione cogniti ingeritur*; ita & mihi & aliis liceat eandem distinguere. At tali autem *sup. §. 4. à n. 295.* distinctionem quadruplicem, suis rationibus & momentis bene fundatam.

313. Quæ Mediolanensis Reverendissimus D. Vicarius in Criminalibus ad propositam Quæstionem respondit, non convenit opinioni P. Gobat. In primis enim requirit quidem ille, ut pœnitens querelam & accusationem instituat contra Confessarium reum; sed ideo tantum, quia fractionem sigilli censet esse *delictum privatam*, contra quod Judex non *ex officio*, sed tantum *ad instantiam* alicujus procedere potest. Sed hinc manifestum est, quòd ipsius etiam judicio posset Judex contra Confessarium sacrilegum procedere *ex suo officio*, & absque omni pœnitentis querela & licentia, si fractio sigilli esset *delictum publicum*, atqui P. Gobat *l. 6. §. 205.* fateatur, revelationem sigilli esse crimen publicum; idque *Argum. l. 1. ff. de publ. Jud. §. 17. q. 4. Can. Si quis. 29. §. Qui autem.* probat. Clarius autem sic ostenditur. Tunc crimen aliquod, & Judicium

P. Sto

Tribu  
Pœnitentia  
E  
S

dicium de eo est publicum, quando certa aliqua lex vult & decernit esse publicum, ut optimè docet Wesenb. in ff. eod. n. 1. atqui l. 4. 6. & 9. ff. ad L. Juliam Peculatus. expressè sacrilegium inter publica crimina numeratur; & l. si quis. 10. Cod. de Epif. & Cler. postquam dictum est, atroces injurias, Sacerdotibus, Ministris, & Ecclesiæ, cultuique divino illatas, esse capitali supplicio vindicandas, decernitur, *cunctis esse laudabile, easdem veluti crimen publicum persequi, ac de talibus reï ultionem mereri*; ergo cum debita Sacramentorum tractatio pertineat etiam ad cultum divinum & Religionem, violatio sigilli, utpote atrox Sacramenti Pœnitentiæ irreverentia & injuria, erit omninò crimen publicum. Confirmatur ex l. 1. ad L. Juliam Majest. ubi dicitur, crimen læsæ Majestatis esse Sacrilegio proximum, hoc est, ut *ibid.* Zæsius exponit, proximè accedere ad gravitatem Sacrilegii; si autem ullum Sacrilegium, tunc certè etiam violatio sigilli Sacramentalis est crimen publicum, quia est unum ex gravissimis Sacrilegiis. Item bona temporalia v. g. pecuniam Ecclesiæ violare est crimen publicum juxta *citt. ll.* ergo multò magis violare bona spiritualia, ex quibus inter præcipua censentur etiam Sacramenta.

314. Deinde idem Mediolanensis D. Vicarius etsi in suo Responso dicat, pœnitentem debere, si velit, querelam porrigere, & Confessarium sacrilegum accusare apud Judicem Ecclesiasticum, ut iste contra illum possit procedere; nullatenus tamen negat, eum etiam accusari posse ab alio, saltem eo, cui licitum est, suam, suorumque injuriam persequi, vel

cujus aliàs interest; maximè si pœnitens defunctus sit, vel ob distantiam majorem adiri non possit. Notandum quoque singulariter, quòd sæpius nominatur Reverendissimus Dominus Vicarius ne minimam quidem fecerit mentionem de aliquo periculo frangendi sigilli, ergo signum est, quòd in toto proposito casu nullum agnoverit. Sicut nullum quoque agnovit Speculator loco, quem in meo scripto ad P. Gobat transmissio designavi, hoc est *lib. 1. part. 2. Rubr. de Probation. §. 1. n. 34.* non autem, ut apud P. Gobat, *litt. N.* ex errore vel amanuensis, vel typographi refertur *part. 1. n. 24.* Uti sum autem exemplari Basileæ *ann. 1574.* impresso, quale se quoque habuisse ait Gobat *litt. II.* & tamen *ibid.* dicit, se sub Titulo de Probation. nihil ejusmodi reperire. Visum proinde est hîc iterum formalia Speculatoris verba adscribere, & sunt ista: *Cum presbyter revelans peccatum, sibi in confessione dictum, puniendus sit graviter; ut extra de Pœnit. & Remiss. Omnis. Queritur, qualiter hoc probetur contra Sacerdotem? Resp. probabitur, quòd ipse hoc coram pluribus dixit, quamvis extra Judicium.* Et ecce! ut nullatenus hîc faciat mentionem de periculo frangendi sigilli, nullam de licentia pœnitentis.

315. Dices hinc non rectè inferri, quòd Speculator censuerit illud in proposito casu non subesse, & istam non requiri; sicut ex eo, quòd non meminerit hîc de duobus testibus, malè inferetur, eum totidem non requirere. Sed *contra.* De requisita testium pluralitate meminit Speculator non tantum alibi passim in antecedentibus & consequentibus, sed etiam

hic expressè, dum: *probabitur*, inquit, revelatio scilicet peccati, quod ipse hoc coram pluribus dixit, qui nimirum testes esse possint; nusquam autem meminit de periculo sigilli, nusquam de licentia pœnitentis, ergo adhuc rectè infertur Speculatorem plurium testium numerum, sed nullum sigilli periculum, nullam licentiæ necessitatem agnovisse; quia alioqui etiam de alterutro hîc vel alibi meminisset. Sed neque Gregorius in *can. Sacerdos*, 2. de Pœnit. Dist. 6. neque Innocentius III. in *cap. Omnis utriusque*, 12. de Pœnit. & Remiss. ubi statuerunt pœnam sacrilegis Confessariis in Ecclesiastico foro externo infligendam, ullo apice indicârunt, ad licentiâ pœnitentis esse necessariam, aut saluum sine ea non fore sigillum. Utique autem hoc fecissent, & facere debuissent, si ita se rem habere iudicassent.

316. Cæterum cum Speculator vixerit & floruerit jam sub Nicolao III. 1280. infero hîc ego, non *Questionem* à P. Gobat motam, sed tantum *rationem dubitandi* ab illo excogitatam esse novam. Displicere proinde ipsi *litt. KK.* non debuit, quod nostra novæ rationis distinctio *sup. n. 296.* data esset nova; neque Jure potuit *litt. P.* obijcere, quod nostra sententia nullum expressè sibi suffragantem scriptorem habeat, cum nec ipse ullum talem pro nova sua conclusione ostendat. Quod enim *litt. GG. doctrina*, quam *defendo*; inquit, *notissima & fuit & est omnibus Confessariis, etiam improbis*; facile concedo, si loquatur de doctrina, quæ est de omnimoda inviolabilitate sigilli adhuc integri; neque nos in hac ab eo discrepamus. Sin autem intelligat de do-

ctrina, quam tradidit de impunitate Confessarii sigillum frangentis, maxime etiam per publicam & notoriam peccati, ex sola confessione ipsi noti, de certa persona revelationem, tunc planè non potuit fuisse notissima; quia ipse pro nova, & ab aliis prætermittenda habet; neque modò est omnibus ita nota, ut non potius nostra contraria sit omnium mentibus insita. Certè nec illi duo Theologi, quos primò consuluit Gobat, eorumque litteras exhibet, à n. 236. subscribunt ex toto ipsius opinioni; nec eidem quatuor alii, in *Append. post n. 246.* posita relati, consenserunt. Si quis ergo ita vel diceret, vel scriberet: *Confessarius potest cujusvis defuncti quavis peccata, ex sola ejus confessione ipsi nota, palam coram omnibus in publico foro impunè proclamare; & à nemine propterea accusari, à nemine judicari, puniri &c.* nescio sanè, an ille meritò de offensa conqueri posset contra eum, qui ipsi *ex l. Legem. 7. Cod. de natural. liber.* hunc textum legeret: *Nimis est indignum, nimis item impium, flagitiosè præsidia querere.*

217. *Sex* superaddamus unum vel alterum Exemplum I. Ammon Parochus, graviter offensus ab Annone, dixit ex deliberata vindicta coram magno hominum numero, eum esse similem defunctæ Matri suæ Titæ; eam autem fuisse trivenenicam, idque sibi in articulo mortis confessam esse. Unde enata est publica Titæ infamia. II. Cum ex Caja in puerperio defuncta natus esset posthumus, Basilius Pœnitentiarius, ut gratiam apud Bertulphum etique tutores iniret, coram numeroso populo firmiter asseveravit, posthumum illum fuisse ex adulterio conceptum,

ceptum, idque sibi Cajam ante finem vitæ in confessione aperuisse. Unde Berthulphus, ejusque tutores nolunt eum, ex fama jam publica spurium, ad hæreditatem paternam admittere; sed repugnant consanguinei defunctæ Cajæ. III. Cosmas & lucrum faceret, deliberatè asseruit, quam plurimis audientibus, Cletum fuisse socium & adiutorem Clementis in expilanda Alphonfi mercatoris Hispani tabernâ, idque sibi à Clemente, antequam in Indiam discederet, in confessione fuisse detectum. Unde ædes Cleri excussæ, pars mercium inventa, & ipse in periculum suspendii conjectus est &c. Quid in ejusmodi facti contingentia agendum? Nemo illorum licentiam, quæ necessaria ad processum dicitur, potest à defuncto vel longiùs absente habere; & quia nemo etiam illorum est ipse pœnitens, qui confessus sit, nullus quoque eorum potest testibus aut Judici licentiam dare; ergo soli isti coguntur vi sigilli suam suorumque injuriam taciti perferre? Executio Judicii publici, hoc est, ut Zæsius in ff. de jud. publ. n. 1. exponit, persecutio, seu accusatio de publico delicto (quale etiam est violatio sigilli, ut sup. ostendi) plerumque (seu ferè) cuivis de populo permittitur, §. 2. In ff. eod. nisi scil. quis lege quadam Judicio publico agere prohibeatur. Quænam autem lex istos prohibet? si lex sigilli prohiberet, ea magis Confessariis sacrilegè & enormiter delinquentibus faveret, quàm fidelibus sanctè pœnitentibus; quibus proin etiam Sacramentum Pœnitentiæ, quod ob suam necessitatem omnibus deberet facere amabile, redderet contra primarium & unicum suum finem summè odiosum.

318. Ponamus autem itaq; & filius ad abrogandam defunctæ matris infamiam; posthumus ad participandam hæreditatem paternam, & Mævius ad tuendam suam vitam porrigat Judici Ecclesiastico querelam contra sacrilegum Confessarium, eumque accuset; Judex eundem citet & examinet de prolato dicto; negantem convincat, & obruat integra testium nubes; fatentem verò, sed cum addito (ut in primis duobus casibus sufficere potest) se quidem id dixisse, sed malè locutum esse, & ex confessione nihil scire, nihil audivisse, Judex condemnet mendacii perniciosi, & obliget ad compensanda damna; fatentem autem simpliciter (ut i facere debet in tertio casu, saltem si ipsi non majus aut æquè magnum malum inde timendum sit) condemnet de sacrilega revelatione sigilli, & puniat, publicandòque sententiam moneat, vi sigilli teneri secularem Judicem; ut à processu contra Mævium desistat; Berthulphum ut posthumum ad hæreditatis partem admittat, & ut omnes de veneficio Titicæ perpetuum silentium observent. Atque jam judicet Lector, an & quid in hujusmodi processu Accusator, Testes, Reus, aut Judex agat, quod argui jure possit peccati.

§. VII.

*Eventilantur Responsiones Adversarii ad nostra Argumenta.*

Argumenta, quæ scripto ad P. Gobat transmissi, & partim sup. §. 2. & 3. propositi, sunt duplicis generis. Priora illius opinionem impugnant, posteriora nostram defendunt. Utraque exhibet ille in sæpiùs

pius *cit. Append. à litt. D.* Respondet quidem ad illa *litt. BB. & seqq.* sed non enervat, quem in iis *suprà* agnovit, nexum.

319. Ad primum primi generis *sup. n. 284.* propositum, respondet *cit. litt. BB.* etsi Jurisdictio, seu potestas legislativa Ecclesiæ sit independens à voluntate subditorum, potestatem tamen vindicativam, quatenus exercenda est contra delictum publicum fracti sigilli, dependere unice à voluntate pœnitentis, atque Christum, prout potuit, ita & re ipsa statuisse. Sed *contra* est, quòd gratis asseratur, Christum ita re ipsa statuisse; & *suprà n. 303. & seqq.* est contrarium ostensum. Autores allegati ajunt quidem sigillum ex voluntate & lege Christi esse prorsus inviolabile; sed nullus illorum dicit, Confessarium notoriè reum de revelato peccato, ex sola confessione noto, debere in Ecclesia manere impunitum, nisi pœnitens consentiat; nullus dicit per processum contra Confessarium sigillifragum institutum frangi sigillum &c. Vide plura *sup. n. 284. & 291.*

320. Ad secundum, & tertium, quorum illud *sup. n. 285.* & istud *n. 286.* habes, & utrumq; ductum est ex hoc, quòd inde sequatur, notoriam revelationem peccati de aliquo v.g. defuncto debere necessariò manere impunitam; item malis Confessariis hoc modo per ipsam sigilli obligationem aperiri viam frangendi sigilli. Respondet Adversarius *litt. DD.* eodem ferè modo. Concedit enim istas sequelas; sed negat eas pro absurdis habendas; quia Christus ita voluit, & statuit. Sed *contra est*, in primis, quia neque hîc ad probandam istam assertionem quid-

quam asseritur, & *sup.* jam refutata est. Deinde Christus voluit sigillum Sacramento Pœnitentiæ annexere, ut homines tantò securius tantò que libentius confiterentur sua peccata cum omni integritate materiali, ad quam eos obligavit; hunc autem finem Christus non satis allequeretur, si Confessarii peccata defunctorum revelantes non possent ab Ecclesia pœnis coerceri, ut consideranti facile patet. Nam & Justinianus Imp. *Nov. 133. cap. 4.* nihil, inquit, quod sancitur, nisi custodiam habeat competentem. (in foro etiam externo, de quo solo illi est sermo) poterit servari decenter. Præterea Sacramentum Pœnitentiæ, uti & alia, sunt præstantissima bona Ecclesiæ, ergo Christus Ecclesiæ dedit potestatem persequendi omnes, qui eam in hujusmodi bonis, & fideles in eorum usu fuerint ausilidere. vide *sup. n. 293.*

321. Rei quidem suæ quilibet moderator est & arbiter. *l. In re mandata. 12. Cod. Mandati.* & voluntas primum locum obtinet, eaque regit condiciones. *l. In conditionibus. 19. princ. ff. de condit. & demonstr.* Sed hæc de privatis personis circa res suas privatas disponentibus intelligantur. Illi autem, qui communitati præsumunt, debent respectum habere ad bonum publicum communitatis; & Christus pro infinita sua bonitate, ut Jugum suum in Lege Gratiæ suave redderet, voluit in ordinanda Ecclesia respicere ad bonum commune Ecclesiæ, adeoque prout ad hoc conducit, obligationem sigilli statuere.

322. Nunc de Argumentis posterioris generis loquendo. I. refert Gobat *litt. H. & I.* Ego autem *sup.* prætermi-

si, non quia pro inefficaci, sed quia pro non necessario habui; ex parte tamen indicavi *sup. n. 292.* Desumpsi illud ex eo, quod de licentia pœnitentis, siquidem necessaria esset, *moraliter loquendo* satis expressè constet, quando fama publica est, grave illius peccatum fuisse à Confessario revelatum; & ipse pœnitens adhuc in vivis est; saltem si non positivè repugnet, & expressè nolit. Quòd autem *moraliter loquendo* satis expressè in his circumstantiis constet de licentia pœnitentis, dixi esse triplicem causam. 1. quia eam dare potest sine ullo suo incommodo; 2. quia eam magno suo bono dare potest propter securam inde omnimodam famæ extinctionem, & assecurationem ab omni incommodo, ratione revelati peccati alioquitimendo. 3. quia *per se loquendo* est graviter obligatus eam dare; cù n̄ quilibet obligatus sit, si potest, præstare id, sine quo scandalum publicum, & gravissimum totius Ecclesiæ in bonis communibus damnum, ex publico delicto ortum, tolli non potest; uti hęc juxta adversarios non potest sine licentia pœnitentis. In illis enim circumstantiis, in quibus aliquis sine suo incommodo, & cum magno suo bono potest quidpiam velle, & insuper tenetur id velle, *moraliter loquendo* satis expressè constat, quòd re ipsa velit, nisi positivè aliud dicat. Et licentiam taliter à pœnitente datam sufficere ad agendum de peccatis ejus ex sola confessione notis docet Dicastillo *Disput. 12. de Pœnit. n. 76.* & consentit Gobat *cit. cap. 42. n. 193.*

323. Displicet adversario hoc argumentum, & quæ in eo dicta sunt, ille *lit. CC. nolim*, inquit, *ego.* Sed audia-  
R. P. Stoz *Trib. Pœnit. Lib. II.*

mus, quare? Potest enim fieri, ut peccatum sit revelatum in una domo parvi pagi coram paucis; vel ut non cedat pœnitenti in ullum probrum; supplicium autem Confessarii in grave odium apud ejus amicos; vel ut Confessarius ipse sit pœnitenti proxima cognitione junctus; atque adeo ut pœnitens propterea mavelit ferre suum peccatum innotuisse paucis, quàm in Judicio tractari à multis, vel odium grave subire apud Confessarii amicos; vel sustinere potiùs proprii peccati infamiam, quàm aliam ex supplicio proximi consanguinei in totam familiam redundantem; ergo non rectè dicitur, quòd quilibet consentiat, multò minùs quòd quilibet teneatur consentire in processum contra Confessarium sigillifragum. Sed hæc Responsio planè non satisfacit argumento, quod procedit tantùm in casu, in quo de pœnitentibus non constat, quòd positivè aliud velint. Ista autem de quibus Adversarius loquitur, quia vel processum, aut ipsùm Rei supplicium putant sibi fore valde damnosum, hoc ipso positivè nolunt illum aut istud fieri. Pro quo casu, uti & si pœnitens nesciat, alicubi esse famam publicam de revelatione sui peccati, vel si jam sit mortuus, expressè in meo manuscripto apud Gobat *cit. lit. I. dixi* suppetere alia argumenta.

324. Taceo, quòd nec exempla ab adversario adducta sint satis idonea. Nam si fama etiam in parvo pago, ut sit publica, debet emanasse ad plures personas, quàm ordinariè in Tribunali Ecclesiastico conveniant; saltem si testes excipias, qui de fama vel ipsa revelatione sibi jam antè notà testantur; ergo non est, cur  
Bb aliquis

aliquis magis infamiam in pago ferre, quam ad eam tollendam tribunal subire velit. 2. crimina gravia, quæ hic ponuntur esse revelata, non possunt alicui non esse probrosa. Odium apud amicos sacrilegi Confessarii timendum non est, quia pœnitens non positivè & physicè, sed tantùm negativè & moraliter loquendo exprimit in ejusmodi circumstantiis se dare licentiam; dum nimirum in *itis* omittit positivè dicere, se nolle eam dare; habet quoque se hîc prorsus per accidens. 3. Et si pœnitens proximum consanguineum, qui ejus peccatum sacrilegè revelavit, non teneatur deferre ad Judicem, aut consensum præbere ad procedendum contra eum; adhuc tamen hæc Regula generalis, sicut aliæ, à quibus unum aut plura excipiuntur, est vera: nempe *quilibet debet, si potest, præstare id, sine quo publicum scandalum tolli, aut bonum publicum communitatis servari non potest.* Nullus sanè Theologus hoc neget. Et quid si Confessarius revelet, quod ex complicis tantùm confessione intellexit, grave v.g. furtum vel homicidium à suo consanguineo patratum, & propterea inventis à magistratu indicis delicti iste rapiendus sit ad furcam vel rotam; an potius volet tam infame supplicium subire, quam Confessarium ad Monasterium vel carcerem detrudi? an & ad id tenebitur? Quis Theologus hoc dicet? Adde, quòd etsi damnum, ex fractione sigilli ortum, non sit respectu unius vel alterius adeo magnum, ipsa tamen tam ampla impunitas sacrilegorum Confessariorum est toti communitati quàm maximè damnosa, quam ut omnes studeant avertere, ratio

boni publici exigat, cui privatam postponi debet.

325. II. Quod proposui, *sup. n. 291.* & refert Gobat *litt. K.* petitum est ex natura legis naturalis, divinæ, & humane obligantis ad sigillum. Nulla enim lex est in ullo jure, quæ cum actionem aliquam externam, bono communi summè damnosam, strictissimè pro omni casu, etiam cujusvis extremæ necessitatis, prohibeat; prohibeat tamen simul etiam eos, qui temerariè præsumpserint contra legem agere, puniri, vel non nisi dependenter à consensu privatarum personarum, quæ illum post mortem & in plurimis aliis casibus dare non possunt; ergo nec lex Sigilli est talis; vel certè si talis esset, foret hoc ipso illa sibi contraria. Repugnaret enim suæ obligationi, neque jam strictissimè obligaret; quia simul vellet, ut in foro externo impunè posset violari.

Fatetur adversarius, *litt. KK.* obligationem sigilli ex hac parte non nihil debilitari, sed id compensari omnimoda inviolabilitate, & esse per accidens; sicut igni, quod consumptione materia; & alio, quòd reactione alimenti debilitetur & pereat. At ecce! ipso Adversario teste, nostra sententia obligationem sigilli non relaxat, sed magis, quàm contraria, adstringit; quia præter omnimodam inviolabilitatem, quam admittit, non concedit violentibus impunitatem. Deinde impunitas hæc juxta Adversarium oritur ex ipsa natura & obligatione legis, de sigillo præcipientis, ut in omnibus casibus, etiam notoriis, si pœnitentis licentia haberi non possit, relinquuntur violatores impu-

impuniti; ergo se non habet tantum per accidens. Exempla Physica sunt extra genus scientiæ moralis contra commune axioma, secundum quod scientiæ genus non est mutandum. Præterquam quod defectus materiæ non ab igne sed ab alio agente quod eam subministrare deberet, proveniat; nec reactio procedat ab homine in seipsum, sed ab alimento, quod sumit; impunitas autem atque adeo etiam violandi sigillum pronitas proveniat ab ipsa lege sigilli, quæ prohibet ejus violationem. Ex moralibus nullum adfert Gobat exemplum; quia non vult, ut ait, *actum agere*; quod meo iudicio planè aliquis faceret, si exemplum similis legis quæreret. Ego enim existimo, nullum posse inveniri. Datur quidem lex civilis, quæ prohibeat puniri patrem aut maritum, si ille adulterum cum sua filia *l. 20. § seqq. ff. Ad L. Juliam de adult.* & iste adulterum suæ occidat uxoris. *l. 24. ff. eod. § l. 4. Cod. eod. § Nov. 117. cap. 15.* sed nulla harum legum homicidium ejusmodi, quod impunè permittit, simul etiam prohibet, & si hoc faceret, haberetur sanè non immeritò ab omnibus pro heteroclitica, & sibi contraria.

326. III. Et fundamentale, quod *sup. n. 293.* descripsi, & apud Gobat *lit. L.* habetur, est desumptum à Regimine Ecclesiæ, quod, quia Christus instituit, pro infinita sua sapientia plenè & perfectè ordinavit, ergo & potestatem Ecclesiæ concessit, quæ se, sua bona, & fideles tueri, publicæque delicta subditorum, maximè si sint notoria & toti communitati gravissimè damnosa (uti etiam est violatio sigilli per revelationem certi peccati de certa persona) possit liberè, &

independenter à consensu unius tantum alicujus privati hominis, in foro externo per publicum Judicium pœnamque condignam coercere. Præbuit fortassis hoc argumentum Adversario occasionem, ut pro sua sententia stabilienda tandem confugerit ad institutionem Christi, quasi ille voluerit sigilli obligationem esse talem, ut vi illius non possint sacrilegi Confessarii puniri sine consensu pœnitentis. In prioribus enim editionibus nullam unquam fecit de hoc effugio mentionem, quo tamen jam velut unico principio utitur, ex eoque iterum.

*Respondet*, Christum non dedisse Ecclesiæ potestatem, ut sine consensu pœnitentis possit contra Confessarium, sacrilegè ejus peccata revelantem, judicialiter procedere. Addit pro confirmatione. Ecclesia non potest punire summum Pontificem summè scandalosum, imò & hæreticum teste Bellarm. *l. 2. de Concil. cap. 18.* Nec potest facere, ut cum invita puella matrimonium validè contrahatur, etsi ab isto totius alicujus Regni salus pendeat; ergo nihil inconveniens est, si dicatur, quòd Christus etiam non dederit potestatem sine consensu pœnitentis contra Sacrilègum Confessarium procedendi.

327. Sed in primis constat ex *suprà* dictis, datam esse Ecclesiæ à Christo universalem potestatem in foro etiam externo publica suorum subditorum delicta liberè puniendi; ergo qui delictum violati sigilli putat esse excipiendum, debet id non simpliciter asserere, sed solido aliquo fundamento probare. Deinde rationes hucusque allatæ satis demonstrant, Christum non voluisse obligationem sigilli esse talem, ut vi illius debeant Confessa-



confessarii, qui id violant, relinqui ut plurimum impuniti.

328. Quod in confirmationem adducitur, nihil urget. Nam imprimis quanta est inter summum Pontificem, & alios Ecclesiæ subiectos fideles disparitas: quanta item inter Sacramenta & delinquentium punitionem in foro externo? ergo quod Ecclesia non habeat potestatem puniendi delicta summi Pontificis, nec potestatem mutandi essentielles partes Sacramentorum, nemo inde rectè inferet, etiam non habere potestatem in foro externo liberè puniendi sigillifragos Confessarios sibi subiectos?

329. Deinde Argumentum nostrum fundatur in hoc, quod Christus dederit Ecclesiæ illam potestatem, quæ ipsi est necessaria, ut, more aliarum communitarum possit se, sua, & suos sufficienter tueri & regere; atqui ad hoc est necessaria potestas liberè puniendi in foro etiam externo delicta subditorum, maxime si sint publica, notoria, toti communitati summè noxia, inter quæ etiam præcipuè numeranda est sacrilega certi peccati de certa persona revelatio. Contra potestas materiam aut formam Sacramentorum, quo modo Christus eas determinavit, mutandi; aut puniendi delicta summi Pontificis, non est Ecclesiæ ad sui gubernationem necessaria. Non prior, quia ipse Christus pro infinita sua sapientia & bonitate Sacramentalem materiam & formam ita determinavit, ut nulla substantiali mutatione indigeant. Non posterior, quia ipse quoque Christus speciali sua providentia & Spiritus Sancti assistentiâ regit suum Vicarium, summum Pontificem. *Matth. 16. Luc. 22.*

ut iste, licet possit vitii esse obnoxius, sicut quivis alius privatus homo, nunquam tamen possit publico decreto statuere, quod bonis moribus aut sanctæ fidei esset contrarium, de quo fuse Barb. *in can. si Papa 6. Dist. 40.* ergo necesse non est, ut etiam Ecclesia in illum habeat aliquam potestatem Jurisdictionalem. Ad hæc, nulla est necessitas, nec convenit, ut Regnum, maxime cum nihil habeat potestatis in Regem, habeat aliquam Jurisdictionem in supremum Regis Vicarium, qui omnem suam potestatem ab ipso Rege; eoque solo accepit; ergo multò minus necesse est, aut convenit, ut Ecclesia, quæ est Regnum Christi æterni Regis habeat aliquid Juris & Jurisdictionis in summum Pontificem supremum Christi Vicarium, cui omnis potestas & autoritas, quam in Ecclesiam habet, immediatè ab ipso Christo attributa est. Dicere autem, quod DEUS etiam specialiter provisurus sit, ne ex impunitate Sacrilegorum Confessoriorum orientur gravia mala in Ecclesia, nihil est aliud, quàm contra illud *Rom. 13.* ordinem divinæ sapientiæ invertere, quæ non solet omnia æquè ac immediatè per se præstare, sed infima per media in summa ducere. *Extrav. Unam. 1. de Major. & Obed.*

330. Denique quid multis? quod suprema potestas Ecclesiastica à solo DEO & non ab homine possit judicari, habet clausus textus *cit. Extrav.* nisi deprehendatur à fide devius. *can. si Papa.* plurimique alii, quorum aliquos etiam refert Bellarm. *l. 2. de Concil. cap. 17.* Item unanims est consensus Theologorum, quod Ecclesia, sicut non potest Sacramenta infi-

instituire; ita nec possit substantialiter aliam Sacramentorum materiam aut formam, quam Christus assignavit, substituire; nullum autem simile fundamentum habemus, propter quod dicamus, Sacrilegos & Ecclesie subditos Confessarios nunquam posse ab ea judicari & puniti, nisi pœnitens velit & contentiatur.

331. Quamvis autem summus Pontifex non sublit Ecclesie, nihilominus tamen Bellarm. l. c. cap. 19. v. *At inquit*, ita scribit, & : *si Pontifex*, inquit, *Ecclesiam destruere velit*, (quod etiam fieret, si Sacramenta, fidelibus summè necessaria, redderet odiosa, eosdem ab iis eorumque usu absterret, &c.) licet (Ecclesie) eum servatà debità reverentià admonere, & modestè corripere; repugnare etiam vi & armis. *Ad resistendum enim, & vim vi repellendam, non requiritur ulla* (Jurisdictionalis) *autoritas*; hoc autem quod licet Ecclesie contra summum Pontificem, non liceret ei juxta Adversarios contra subjectum Confessarium sacrilegà sigilli violatione atrox & enorme damnum inferentem Ecclesie. Quæ æquitati planè non satis consonant.

Ad alia Argumenta sup. §. 2. & 3. pro-

posita nihil respondit Gobat, quia ad eum ante obitum non pervenerunt.

Ea porò, quæ in isto & præcedentibus §§. habentur, nullatenus scripsi, ut de celebri nomine, in his partibus nominatissimi Autoris, viri optimi, quique de re morali præclarissimè meritis, mihiq; singulariter fuit semper maximè observandus, vel in minimo quidquam decerperem; sed unice tantùm, ut ejus voluntati non minùs post mortem, quam dum viveret, studiosè obsecundarem, & quod desiderabat, in Quæstione tanti momenti aliquid ad elucidandam veritatem conferrem; simulque redderem tam Pœnitentes in integritate confessionis securos, quam Confessarios in sigilli custodia sollicitos.

Atque ita finio cum ardentissimo voto, ut in sancto TRIBUNALI PœNITENTIÆ nihil unquam à Judice, nihil unquam à Reo committatur, cujus alterutrum meritò pœnitere debeat; sed omnia semper ritè sanctèque peragantur, sicut & scripta sunt, ad æternam animarum salutem & majorem DEI Deiparæque, piissimæ nostrorum omnium coram Tribunali Divino Advocatæ honorem & gloriam.

## A P P E N D I X.

### QUÆSTIO TRIPARTITA,

De danda vel neganda facultate absolvendi à casu aliquo reservato.

Paucis Difficultatem istam attingi in posteriore hoc Libro q. 2. art. 3. n. 74. v. *Tenetur*. Videtur autem omninò declarationem exigere maiorem.